



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 48. Borgiæ Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Alexander, cui viri probitas inimica erat, Sæcul. XVI.
A. C. 1503.
semper infectatus est, imo cum purpura
illum privare proposuisset, Laurentius
dolore perculsus, adeo ingenti ægritu-
dine correptus languit, ut a die, quo
hisce minis territus fuerat, misere vi-
tam trahens, demum morte occubue-
rit. Adeo nempe dignitatum amor mor-
taliū animos terræ affigit. Hunc Car-
dinalē ex inçæstuoso complexu natum
fuisse, nullatenus concordi Scriptorum
testimonio comprobatur, nec tamen alie-
num propterea vitium proprio ejusdem
merito quicquam derogaret, longe au-
tem magis veritati accedit, illum ex Do-
minico Mari Nobili Genuensi fuisse pro-
genitum, cujus Amita Innocentii VIII.
Mater erat.

§. XLVIII.

Borgia Cardinalis obitus.

Denique ad eundem annum, diēque *Onuphr. in
Alexan. VI.*
primam Augusti revocatur obitus
Cardinalis Borgiae, qui erat Alexandri
VI. Nepos. Is Protonotarii, ac litera-
rum Apostolicarum correctoris officio
functus, obtentoque Montis Regalis in
Sicilia Episcopatu anno Incarnationis
millesimo quadringentesimo nonagesimo
secundo a Patruo suo Purpuratorum Col-
legio adscriptus est, postea ab eodem
Episco-

K k 5

Episco-

Sæcul. XVI. A.C. 1503. Episcopus Olomuci in Moravia renunciatus; his addit Ciaconius, eundem administrasse Ecclesias plures, *Bajocensem, Lombariensem, Ferrariensem, ac Cauriensem in Hispania.* Imo etiam illum Patriarchæ Constantinopolitani titulo fuisse decoratum ait. Ejus quoque industria ad gravissima Ecclesiæ negotia seligebatur, ac Legatus ad Neapolis regnum mittebatur, ut Alphonso II. Regni investituram concederet. Intererat quoque anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto nuptiis, quas Godefridus Borgia Alexandri filius cum Sanchesia Arragoniæ Regis filia contraxerat. Præterea ad Carolum VIII. in Italiam euntem, mandante Papa, ac Cardinalium Collegio Braccianum usque obvians processit, ut inter Pontificem & Regem pacis fœdera firmaret. Postea idem solitariam vitam agere compellebatur, ne Cæsarem Borgiam Alexandri filium offenderet, qui usque adeo auctoritatis suæ tenax erat, ut nullum omnino consortem admitteret. Sub idem quoque tempus vivis ereptus est Casimirus Regis Poloniæ filius Cracoviensis Episcopus, pariterque Cardinalis.